THOMAS AQUINAS, NATURAL HEARING, BOOK 1, LECTIO 10

Positis opinionibus antiquorum philosophorum de principiis naturae, hic incipit inquirere veritatem. Et primo inquirit eam per modum disputationis ex probabilibus procedendo; secundo determinat veritatem per modum demonstrationis, ibi: *Sic igitur nos dicamus* et cetera.

Circa primum duo facit: primo inquirit de contrarietate principiorum; secundo de numero eorum, ibi: Consequens autem utique et cetera.

Circa primum tria facit: primo ponit opinionem antiquorum de contrarietate principiorum; secundo inducit ad hoc rationem, ibi: *Et hoc rationabiliter* etc.; tertio ostendit quomodo philosophi se habebant in ponendo contraria principia, ibi: *Usque quidem igitur* et cetera.

Dicit ergo primo quod omnes antiqui philosophi posuerunt contrarietatem in principiis. Et hoc manifestat per tres opiniones philosophorum. Quidam enim dixerunt quod totum universum sit unum ens immobile. Quorum Parmenides dixit quod omnia sunt unum secundum rationem, sed sunt plura secundum sensum; et inquantum sunt plura, ponebat in eis contraria principia, scilicet calidum et frigidum, et attribuebat calidum igni, frigidum vero terrae. Secunda vero opinio fuit philosophorum naturalium qui posuerunt unum principium materiale mobile: et dicebant quod ex eo fiebant alia secundum raritatem et densitatem, et sic ponebant rarum et densum esse principia. Tertia vero opinio est eorum qui posuerunt plura principia. Inter quos Democritus posuit omnia fieri ex indivisibilibus corporibus, quae quidem ad invicem coniuncta, in ipso contactu quoddam vacuum relinquebant; et huiusmodi vacuitates vocabat poros, ut patet in I de Generatione. Sic igitur omnia corpora ponebat composita ex *firmo* et *inani*, idest ex pleno et vacuo: unde plenum et vacuum dicebat esse principia naturae; sed plenum attribuebat enti, vacuum vero non enti. Item, licet corpora indivisibilia omnia essent unius naturae, tamen ex eis dicebat constitui diversa secundum diversitatem figurae, positionis et ordinis. Unde ponebat principia esse contraria quae sunt in genere positionis, scilicet sursum et deorsum, ante et retro; et contraria quae sunt in genere figurae, scilicet rectum, angulare et circulare; et similiter contraria quae sunt in genere ordinis, scilicet prius et posterius, de quibus non fit mentio in littera quia manifesta sunt. Et sic concludit quasi inducendo quod omnes philosophi posuerunt principia esse contraria secundum aliquem modum. De opinione autem Anaxagorae et Empedoclis mentionem non fecit, quia eas superius magis explicavit. Et tamen hi

ponebant etiam quodammodo contrarietatem in principiis, dicentes omnia fieri congregatione et segregatione, quae conveniunt in genere cum raro et denso.

Deinde cum dicit: *Et hoc rationabiliter* etc., ponit probabilem rationem ad ostendendum quod prima principia sunt contraria: quae talis est. Tria videntur de ratione principiorum esse: primum quod non sint ex aliis; secundum quod non sint ex alterutris; tertium quod omnia alia sint ex eis. Sed haec tria conveniunt primis contrariis; ergo prima contraria sunt principia. Ad intelligendum autem quid vocet *prima contraria*, considerandum est quod quaedam contraria sunt quae ex aliis contrariis causantur, sicut dulce et amarum causantur ex humido et sicco et calido et frigido: sic autem non est procedere in infinitum, sed est devenire ad aliqua contraria quae non causantur ex aliis contrariis, et haec vocat *prima contraria*. His igitur primis contrariis tres praedictae conditiones conveniunt principiorum. Ex eo enim quod *prima* sunt, manifestum est quod non sunt ex aliis; ex eo vero quod *contraria* sunt, manifestum est quod non sunt ex alterutris: quamvis enim frigidum fiat ex calido inquantum id quod prius est calidum postea fit frigidum, tamen ipsa frigiditas nunquam fit ex caliditate, ut postea dicetur. Tertium vero, qualiter omnia fiant ex contrariis, oportet diligentius investigare.

Ad hoc igitur ostendendum, praemittit primo quod neque actio neque passio potest accidere inter *contingentia*, idest inter ea quae contingunt simul esse: vel inter *contingentia*, idest inter quaecumque indeterminata. Neque quodlibet fit ex quolibet, sicut Anaxagoras dixit, nisi forte secundum accidens.

Et hoc manifestatur primo in simplicibus. Album enim non fit ex musico nisi forte secundum accidens, inquantum musico accidit esse album vel nigrum; sed album fit per se ex non albo, et non ex quocumque non albo, sed ex non albo quod est nigrum vel medius color: et similiter musicum ex non musico; et non ex quocumque non musico sed ex opposito, quod dicitur *immusicum*, idest quod est natum habere musicam et non habet, vel ex quocumque medio inter ea. Et eadem ratione non corrumpitur aliquid primo et per se in quodcumque contingens: sicut album non corrumpitur in musicum nisi per accidens, sed corrumpitur per se in non album; et non in quodcumque non album, sed in nigrum aut in medium colorem. Et idem dicit de corruptione musici et de aliis similibus. Et huius ratio est, quia omne quod fit et corrumpitur, non est antequam fiat, nec est postquam corrumpitur: unde oportet quod id quod per se aliquid fit, et in quod per se aliquid corrumpitur, tale sit quod in sua ratione includat non esse eius quod fit vel corrumpitur.

Et similiter manifestat hoc in compositis. Et dicit quod similiter se habet in compositis sicut in simplicibus; sed magis latet in compositis, quia opposita compositorum non sunt nominata, sicut opposita simplicium; oppositum enim domus non est nominatum, sicut oppositum albi: unde si reducantur ad aliqua nominata, erit manifestum. Nam omne compositum consistit in aliqua *consonantia;* consonans autem fit ex inconsonanti, et inconsonans ex consonanti; et similiter consonans corrumpitur in inconsonantiam, non in quamcumque, sed in oppositam. Inconsonantia autem potest dici vel secundum ordinem tantum, vel secundum compositionem. Aliquod enim totum consistit in consonantia ordinis, sicut exercitus, aliquod vero in consonantia compositionis, sicut domus; et eadem ratio est de utroque. Et manifestum est quod omnia composita fiunt similiter ex incompositis, sicut domus fit ex incompositis, et figuratum ex infiguratis; et in omnibus his nihil attenditur nisi ordo et compositio.

Sic igitur quasi per inductionem manifestum est quod omnia quae fiunt vel corrumpuntur, fiunt ex contrariis vel mediis, vel corrumpuntur in ea. Media autem fiunt ex contrariis, sicut colores medii ex albo et nigro: unde concludit quod omnia quae fiunt secundum naturam, vel ipsa sunt contraria, sicut album et nigrum, vel fiunt ex contrariis, sicut media. Et hoc est principale intentum quod intendit concludere, scilicet quod omnia fiunt ex contrariis, quod erat tertia conditio principiorum.

Deinde cum dicit: *Usque quidem igitur* etc., ostendit hic Philosophus quomodo se habuerunt philosophi in ponendo principia esse contraria: et primo quomodo se habuerunt quantum ad motivum positionis; secundo quomodo se habuerunt quantum ad ipsam positionem, ibi: *Differunt autem ab invicem* et cetera.

Dicit ergo primo quod, sicut supra dictum est, multi philosophorum secuti sunt veritatem usque ad hoc, quod ponerent principia esse contraria. Quod quidem licet vere ponerent, non tamen quasi ab aliqua ratione moti hoc ponebant, sed sicut ab ipsa veritate coacti. Verum enim est bonum intellectus, ad quod naturaliter ordinatur: unde sicut res cognitione carentes moventur ad suos fines absque ratione, ita interdum intellectus hominis quadam naturali inclinatione tendit in veritatem, licet rationem veritatis non percipiat.

Deinde cum dicit: *Differunt autem ab invicem* etc., ostendit quomodo praedicti philosophi se habebant in ipsa positione. Et circa hoc duo facit: primo ostendit quomodo differebant in ponendo principia esse contraria; secundo quomodo simul differebant et conveniebant, ibi: *Quare est eadem dicere* et cetera.

Dicit ergo primo quod philosophi, ponentes principia esse contraria, dupliciter differebant. Primo quidem quia aliqui eorum rationabiliter ponentes, accipiebant pro principiis *priora contraria;* alii vero minus provide considerantes, accipiebant *posteriora contraria* ut principia. Et eorum qui accipiebant *priora contraria*, quidam attendebant ad ea quae erant notiora secundum rationem; quidam vero ad ea quae sunt notiora secundum sensum. Vel potest dici quod per hanc secundam differentiam assignatur ratio primae differentiae: nam ea quae sunt notiora secundum rationem, sunt priora simpliciter; quae vero sunt notiora secundum sensum, sunt posteriora simpliciter et priora quoad nos. Manifestum est autem quod oportet principia esse prima. Unde illi qui iudicabant prius secundum id quod est notius rationi, ponebant principia contraria priora simpliciter: qui vero iudicabant prius secundum id quod est notius sensui, ponebant principia posteriora simpliciter. Unde quidam ponebant prima principia calidum et frigidum, alii vero humidum et siccum: et utraque sunt notiora secundum sensum. Tamen calidum et frigidum, quae sunt qualitates activae, sunt priora humido et sicco, quae sunt qualitates passivae: quia activum est prius naturaliter passivo. Alii vero posuerunt principia notiora secundum rationem. Quorum aliqui posuerunt principia parem et imparem, scilicet Pythagorici, existimantes substantiam omnium esse numeros, et quod omnia componuntur ex pari et impari sicut ex forma et materia: nam pari attribuebant infinitatem et alteritatem propter eius divisibilitatem, impari vero tribuebant finitatem et identitatem propter suam indivisionem. Quidam vero posuerunt causas generationis et corruptionis discordiam et concordiam, scilicet sequaces Empedoclis, quae sunt etiam notiora secundum rationem. Unde patet quod in istis positionibus apparet praedicta diversitas.

Deinde cum dicit: *Quare est eadem dicere* etc., ostendit quomodo in differentia praedictarum opinionum est etiam quaedam convenientia, concludens ex praedictis quod quodammodo antiqui philosophi dixerunt eadem principia et quodammodo altera: altera quidem secundum quod diversi diversa contraria assumpserunt, sicut dictum est; eadem vero secundum *analogiam*, idest proportionem, quia principia accepta ab omnibus habent eandem proportionem. Et hoc tripliciter.

Primo quidem quia quaecumque principia accipiuntur ab eis, se habent ad invicem ut contraria: et hoc est quod dicit, quod omnes accipiunt principia *ex eadem coordinatione*, scilicet contrariorum; omnes enim accipiunt contraria pro principiis, sed tamen diversa. Nec est mirum si ex coordinatione contrariorum diversa accipiantur principia; quia inter contraria quaedam sunt continentia, ut

priora et communiora, et quaedam contenta, ut posteriora et minus communia. Iste est igitur unus modus quo similiter dicunt, inquantum omnes accipiunt principia ex ordine contrariorum.

Alius modus in quo conveniunt secundum analogiam est, quod quaecumque principia accipiuntur ab eis, unum eorum se habet ut melius et aliud ut peius; sicut concordia vel plenum vel calidum ut melius, discordia vero vel vacuum vel frigidum ut peius; et sic est considerare in aliis. Et hoc ideo est, quia semper alterum contrariorum habet privationem admixtam: principium enim contrarietatis est oppositio privationis et habitus, ut dicitur in X Metaphys.

Tertio modo conveniunt secundum analogiam in hoc quod omnes accipiunt principia notiora: sed quidam notiora secundum rationem, quidam vero secundum sensum. Cum enim ratio sit universalis, sensus vero particularis, universalia sunt notiora secundum rationem, ut magnum et parvum; singularia vero secundum sensum, ut rarum et densum, quae sunt minus communia.

Et sic ultimo quasi epilogando concludit quod principaliter intendit, scilicet quod *principia sunt contraria*.